



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Patris iam Sacerdotis Sacra pro se postulat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

instar virgunculæ suspiciebatur, deprædicabaturque, & consuetudinem eius non modò amabant, sed ambiebant omnes. Nonnulli è Tyronibus solo se eius aspectu ad virtutem pietatemque accendi fatebantur; & quid nescio diuinum oculis, vultu, totoque corpore emicare, ita Cælitibus quàm mortalibus familiarior videbatur.

Aspectu suo ad virtutē inuiat.

Igitur cum de nuncupandis ab eo votis ad Patrum concilium deferretur, omnium qui conuenerant suffragijs non modò idoneus iudicatus est, verum etiam eximiâ laude commendatus. Ipse autem vt hoc sui holo-caustum Deo redderet acceptius, ad patrem suum, qui iam Sacerdotio, vt prædiximus, Diesthemij erat initiatus, litteras scripsit, rogauitque, vt in Æde Asperi-collis ter Sacris in honorem sancti Spiritus operaretur, sibiq; à Deo opem Deiparæ patrocinio efflagitaret. æquum enim esse, vt quemadmodum parentes vulgò gaudere solent, cum filij contractis Magnatum affinitatibus acceptum familiæ splendorem augent, ipse multò amplius sibi gratularetur dignitate filij sui, cuius anima dicto votorum sacramento iam Christo Iesu cælorum Regi esset desponsata; quo se obstringi voluisse dicebat, vt mundo mortuus, in IESV cruci affixi Societate tribus quoque clavis, paupertatis, castitatis atque obedi-

Ad pronũ-tianda Re-ligionis vo-ta admitti-tur.

Patris iam Sacerdotis sacra pro se postulat.

obedientiæ hæreret confixus. Diebus verò ^{Ritè præ-}
 aliquot cùm huic se Sacrificio offerendo di- ^{paratus vo-}
 ligenter præparasset, vii. Kalendas Octobris ^{ta nuncu-}
 anno M. DC. XVIII. Magistro Nouitiorum ^{pat.}
 P. Guilielmo Bauters manè sub Sacrum
 coram sanctissimo Eucharistiæ Sacramento
 vota sua nuncupauit, cælestique post pane est
 reffectus.

Enimuerò quàm arcta illi, extremo iam ^{Quanta}
 Tyrocinio, cum Deo intercesserit necessitu- ^{eius cum}
 do, vel eo constare potest, quòd nulla ei (ut ^{Deo con-}
 solet reliquis Nouitijs ante Votorum tem- ^{iunctio.}
 pus) facultas secedendi in exercitia spiritua-
 lia concessa sit. Sed clariùs longè conceptam
 de eo sanctitatis opinionem prædictus Pater
 expressit ijs litteris, quas ad me dedit, quan-
 do iussu Præpositi Prouincialis Antonij
 Sucquetij, quæ huc vsque narrata sunt, è Bel-
 gio mihi in hæc verba fuere perscripta: *Hæc Testimoniũ*
ferè ea sunt, quæ Reu. vestra mitto, partem à me ^{de eo Ma-}
observata, partem ab alijs accepta. Addo, reli- ^{gistri No-}
gione adductus, cùm eum in petitione Socie- ^{uitiorum,}
tatis, adhuc secularem, iussu Superiorum ex-
aminarem, visum mihi primo aspectu animiq;
conceptu, Angelum me humano in corpore
videre; quem talem reuerà esse mox certius
deprehendi, ubi mentem eius penitus penetra-
ui. Erat enim summa eius innocentia, modestia
singularis, rara in agendo suauitas, & quod